Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

refrigerium paras . et dulcedinem
super mel et fauum . Postmodum ius-
sit fieri caminum ferreum . et secundum
eius preceptum venerunt artifices : et
tulerunt mensuram illius cubitis
duodecim : et posuerunt eum in caminum
cum catenis ferreis in medio ciui
tatis . et ignem mitti iussit . ita ut
flamma super corpus ascenderet . Tunc
sanctus Xpoforus dixit regi . Iam tibi
dixi . quia non timeo tormenta tua quan
tumque intuleris . Et cum hec dixisset .
catene comminute sunt . et stabat in
medio flamme solus : et facies eius
erat sicut ros pulcherrima . Vi
dens ergo dagnus quod eum ignis non
contingeret . sibi eum offerri pre
cepit . et ait ad eum . Fera malefi
ca . non sufficiuit tibi peccata et anime
quas errare fecisti . et non permisisti
ut sacrificarent diis magnis . sed
omnem populum tua doctrina a diis
meis fecisti alienum . Xpoforus respondit .
Per eum qui me de penis et de mani
bus tuis saluare dignatus est : quan
diu me in hoc corpore esse iusserit :
quantas potuero animas de errore li
berare desidero . et te ipsum si vis con
sentire ad viam salutis adducere vel
lem . Dagnus rex dixit ad eum . Hec
verba tua nulla sunt que loqueris . tamen
sacrifica diis meis . ut non interficiam
te in multis tormentis . Xpoforus respondit .
Ego diis tuis abhominationem po
sui sicut et tibi . quia abhomina
tio est demonium videre . Tunc iratus
rex iussit stipitem ligneum ante pa
lacium figi . et sanctum Xpoforum in eo li
gari . ut venientes milites sagittas
super eum mitterent . ut cito exala-
ret spiritum . Et sagittauerunt eum ab hora
prima usque ad horam duodecimam .
Sagitte autem pendebant a dextris
et a sinistris . et neque una ex eis corpus
eius tetigit . Et ait rex . Eamus et
videamus maleficum illum . non potest deus
eius venire et liberare de manibus meis .
vel si adhuc viuit . At ubi venit
ad locum . dixit ad eum . Ubi est deus
tuus ? Veniat et liberet te de manibus
meis . Et statim exiit una de sagit
tis illis : et ingressa est in oculum
dagni . et excecauit eum . Et dixit
ad eum Xpoforus . Tibi dico tyranne
et stulte rex . Ego die crastino octa
ua hora accipiam martirium . quia
deus meus ostendere michi est dignatus .
et venient christiani et accipient corpus
meum . et ponent in locum cum oratio
ne . Tu autem veni in illum locum et crede
Xpo . et collige terram cum sanguine me
o in nomine Ihesu Xpi . et pone in oculo
tuo . et saluus eris . Et cum appropinquasset
hora ut coronaretur sanctus dei : aperuit
os suum in oratione . et dixit . Domine deus
meus qui eduxisti me de errore . et
ostendisti michi spiritum confessionis tue .
per virtutem tuam hoc quod a te peto presta
michi . ut in quacumque loco sepultum fuerit
corpus meum . non ibi ingrediatur gran
do . non ignis / non fames . non mortalitas
mala : et in ciuitate illa et in illis locis
si fuerit ibi infirmus . aut demoniacus .
et venerit et orauerit ex toto corde . et propter
nomen tuum nominauerit nomen meum .
ubi in suis precibus saluus fiat . et quod
pecierit accipiat . Completum est autem
suum martirium et coronatus est . et re
ceptus ab eo . Sunt autem qui cre
diderunt in domino Ihesu Xpo per sanctum